

146  
generalitate pertranseant. Temptationes suas et  
cogitationes malas nulla ratione occultent non cō  
temnant modica: ne paulatim fluant ad maiora. In  
domo namque quam subintrans radius solis illumina  
nat quantumcūque fuerit premundata: at homini nō  
chilominus diligentius intuenti appareat. Sic et  
cor radijs gratie illustratum etiam minima videt:  
ac viciorum laqueos subtili examinatione discernit.  
Quanta quis fuerit mente purgator: tanto se sordi  
diorum videbit et maiores causas humilitatis inue  
niet. Deponende tamen sunt scrupulositates quedā  
superflue que conscientiam in erroris confusionem  
inducunt. ¶ Reuerentiam non solum interiorē: ve  
rum etiam exteriorē: decet contentem habere. vt  
suo deferēs cōfessor: illi siue in elatione capitis: siue  
in alta corporis dispositione si commode vitare pote  
rit non coequet: sed flexis genibus dum cōfiterur nu  
dato ac demisso capite sit humiliter coram eo.

**De disciplina circa confessionem publicam.**

**Capitulum decimum.**

**O**ffense publice/publicam vt dictum est confes  
sionem requirunt. Circa quam attendendū est  
vbi de quibus: et qualiter fieri debeat. Cōfessionem hu  
iusmodi facere debent aut coram superiore i capitu  
lo p̄fessorum: si adesse liceat et sit moris: aut coram  
instructore suo: quando tenet eis capitulum separa  
tim aut alibi priuate coram aliquo vel aliquibus si  
priuate offenderint coram eis. Ante omnia si p̄cepe  
rint se facto vel verbo aliquem: vel leuiter ostendisse  
ante confessionem: vel dormitionem: cum humili  
studeāt satisfactione placare et in petitione venie p̄e

venire: ne alius preveniens de manibus eorum hu-  
militatis mercedem subiciat. **I**n capitulo pfe-  
sorum statim post preciosa recommendationibus fa-  
ctis se de manifestioribus et maioribus offensis ac-  
cuset. Deinde ipsum capitulum insimul exiri si ad  
locum sibi determinatum ad quem non sit seculari-  
um accessus ituri. Nos autem iam apud multos p-  
vide abnuat: fratres novos in capitulo satisfacere p-  
fessorum: sed pro eorum offensis suis ibidem procla-  
matur seu promonetur instructor. **I**n secundo capitu-  
lo videlicet instructoris: quod debet eis tenere dua-  
bus vicibus vel pluries si superiori videbitur in qua-  
libet septimana) super predictis satisfaciant: si in pri-  
mo capitulo non fuerit satisfactum. Alioquin super  
notabilibus et apertis: iuxta eiusdem instructoris  
monitiones offensis et negligentis se accusent qui su-  
per his de quibus sibi expedire videbitur eos carita-  
tive corripiens prout cuiusq; moribus videbitur ex-  
pedire. salutaribus debet instruere documentis con-  
siderans diligenter vtrum deum querant ex animo  
si sint ad orationem vigilantes: et ad divinum officium  
soliciti. **S**i ad iniuncta faciles et devoti. **S**i ad cor-  
rectionem et opprobria patientes. vt sic de moribus  
eorum et proposito habeatur plenior certitudo. **P**a-  
trem se illis in levitatis dulcedine patrem in corre-  
ctionis tonsura exhibeat. **S**it severior iudicio q; ser-  
mone. **Q**ui dulcis est eloquio: maiora reperiet. **N**ec  
oportet q; eis penitentiam coram toto conventu pu-  
blice faciendam sine conscientia superioris imponat  
**P**ostremo vt disciplinato et debito modo fiat hu-  
iusmodi confessio debent circa eam honestatem cau-  
telam et humilitatem servare. **H**onestatem vt culpe

141  
narrationem nudo capite et non ridendo non circū  
spiciendo aut cum manu aliquid faciendo sed iun-  
ctis manibus potius vel alter honeste dispositis exe-  
quantur. De cautela dictum est in capitulo prece-  
denti. quam in hoc precipue habeant ut se paucis  
verbis expediant et in culpa sua nullum alium q̄ se  
ipsos inuoluant quod et cautelam et puritatem cō-  
cernit. **H**umilitatem habere debent in gestu cor-  
poris et in verbis. In gestu quidem ut ad terram  
iuxta fratrum consuetudinem se prosternant humi-  
liter. In verbis autem ut verba subiectionis et pe-  
nitentie nullam sint omnino notam superbie vel im-  
patientie continentia. **Q**uando in capitulo vel  
extra nitus austere vel minus iuste suo iudicio su-  
per aliquo arguantur non turbentur animo sed po-  
tius pro fratrum diligentia circa ipsos qui suos  
amant arguunt et castigant et exercitio virtutis ab-  
lato in domino gaudeant et exultent ad verba et ver-  
bera propter christum gratanter et humiliter parati  
sustinenda. **E**t licet fratres professi aliquando pro-  
pter infirmos prouide ouerint abstinendum ne p̄  
qualiber offensa reprehendant eos indifferenter aut  
nimis superbe. quamuis pie ut si quid in eis repre-  
hensibile viderint suo consultius denuncient instru-  
ctori. **I**psi tamen fratres nouitij ab omnibus cor-  
ripi et ab omnibus erudiri effectent. **Q**ui non vult  
corripi non vult corrigi ait quidam ad moneberis  
inquit libenter reprehenderis patienter probata si  
quidem patientie virtus reddet eos deo et fratribus  
gratiosos. **C**ulpam suam nullo modo defendant  
**A**mirum ut ait beatus gregorius que defenditur  
culpa geminatur. Sed si sentiūt se immunes. satiffa

etione semper quātuncunq; fuerint innocentes hu-  
militer preoblata / possunt innocentiam suā cum reue-  
rentia tamen corripienti ostendere. si requisiti fuerit  
aut premissi. Unde sanctus franciscus. Beatus ser-  
uus qui non est velox ad se excusandum et humili-  
ter sustinet verecundiam et reprehensionem de pecc-  
cato vbi non commisit culpam.

**D**e disciplina quo ad positionem boni. **Ca. xi.**  
**C**ongruit tam de disciplina quo ad positionem  
boni aliquid tangere. Et primo de disciplina  
circa informationem cordis ad quam est lectio illu-  
minans intellectum et oratio accedens affectum.  
Secundo circa exercitationem ad quam diuinū spe-  
ctat officium. Tertio circa exercitationem operis ad  
quam spectat altaris ministerium.

**D**e disciplina circa ordinis informationem.  
**Ca. xij.** **P**rimo de oratione.

**I**ntent orationi seruenter non solum in oratio-  
ne verumetiam vbiunq; fuerint cum ipse sint  
templum dei. Aut certe in lectis occulte ac sine per-  
ceptibili sibi. Quippe tanto securior quanto secre-  
tior existit oratio et quasi capitulum sibi metipsis te-  
netes. In quo proficiant vel deficiant quotidiana se-  
cū discussione perquirant. De vocatione sua et inu-  
meris bñdictis saluatoris gratias ei debitas tota mē-  
tis deuotione soluentes. Et quot inchoauerūt bonū  
ab eo perfici instantissima oratione deposcant. Nec  
solum pro se verumetiam pro alijs tam viuīs q̄ mor-  
tuis orent et quasi quoddam memento sibi constitu-  
ant. **P**oterit oraturus primo de laude dei incipere